

#1856
SVMMMAM PROBABILITATEM
HYPOTHESEOS S. IRENAEI
DE NVMERO APOCALYPSIOS
D C L X V I

ARGVMENTIS ADSTRVIT,

ET CAPIENDA

A N N I M D C C L X I X

PRIMORDIA DIE EIVS NONO

AB

A C T V O R A T O R I O

IN GYMNASIO HALLENSI HABENDO,

PIAQUE GRATVLATIONE

AMPLISSIMIS GYMNASII PATRONIS

HONORATISSIMISQVE HVMANIORVM

MVSARVM FAVORIBVS

CVM DEBITA OBSERVANTIA

INDICIT

IOHANNES GOTTOFREDVS TAVST,


GYMNASII HALLENSIS RECTOR.

HALLAE MAGDEBVRGICAE,

ELEMENTORVM FORMIS EXSCRIPSIT FR. AVG. GRVNERT.

MDCCLXIX.





Memoratu dignissimum Apostoli Petri de diuinis vaticiniis est effectum, epistolae suae prioris capite I, IO. II. quo docet, Christi in ipsis habitasse spiritum; ipsosque studiose esse scrutatos, quodnam et quale ille publicandae futurae salutis tempus indicaret. Docet nimirum his verbis, non modo reliqua reparandae per Christum salutis momenta, sed in primis etiam salutaris huius temporis epocham a Christi Spiritu ipsis patefactam, eorumque ministerio orbi esse publicatam. Duo vero insignia in vaticiniis diuinorum scriptis deprehendimus vaticinia, quae perfectissimae diuini Spiritus rerum futurarum notitiae evidentissima sunt documenta, quibus ille per interpretes suos certas futurorum temporum periodos accuratissime definiuit. Primum horum a Daniele proditum est cap. IX, 24. qui Christum post septuaginta hebdomadas mortalium aboliturum crimina definiuit, quarum quaeque, stilo prophetis vsitato, septem annos, pro numero dierum complectitur. Adeoque rerum euentus comprobauit, post quadringentorum nonaginta annorum decursum Christum placandi numinis munere esse defunctum. Alterum noui foederis illustrissimum est vaticinium, quo Iohannes, Apoc. XIII, et seqq. capp. acerrimam luctam sanctorum cum hostili quodam imperio, sub imagine bestiae marinae adumbrato, eiusque initium pariter, ac durationem accuratissime definiuit. Tanti momenti sapientissimo Spiritui haec res visa est, vt in describendo hoc bello, eiusque fati ac duratione praedicenda, integra sex apocalypsis capita, a decimo tertio ad duodeuicesimum infunderet. Insigne hoc vaticinium,

nium, quo vix augustius et luculentius in toto sacro deprehenditur codice, de conflictu hierarchiae romano-latinae cum sacra seruatoris in terris ciuitate esse intelligendum, vir profundae in vaticiniis sacris interpretandis eruditionis ac sapientiae, CAMPEGIVS VITRINGA, in anacrissi sua apocalypsis p. m. 584 — 637 ad oculum demonstrauit. Cum enim duo huius vaticinii exponendi esse docuisset systemata, quorum vnum ex mente BOSSVETI bestiam marinam de imperio romano ethnico, tempore persecutionis Diocletiani exponit, alterum de hierarchia romano-latina interpretatur: BOSSVETI systemate idoneis argumentis destructo, alterum in eius locum substituit, quod hierarchiam illam romano-latinae sub bestiae marinae figura latere defendit, quae tempore Gregorii septimi, inclinato saeculo vndecimo, e mari gentium aquilonalium emerferit. Omissis vero reliquis, quas vocant, huius vaticinii circumstantiis, sola iam excutienda sumimus verba, quibus bestiae huius symbolicae quasi natalis aenigmate quodam, nostro quidem iudicio suppeditari videtur. Continentur ea Apoc. XIII, 17. 18, quae sequentia sunt: *facit*, (scilicet secunda bestia) *ne cui liceret emere aut vendere, nisi qui notam aut nomen haberet bestiae* (scilicet marinae) *aut eius nominis numerum. HIC EST SAPIENTIA. Qui habet ingenium, computet bestiae numerum: numerus enim hominis est, estque eius numerus sexcenti sexaginta sex.* Nomen igitur bestiae, aenigmati inuolutum arithmetico, cum totius vaticinii sit cardo, mirum id in modum interpretum exercuit ingenia, qui variarum linguarum conquisuere nomina, quorum literae exacte numerorum valore conficerent numerum 666. Verum ex tot diuersorum nominum labyrintho eluctari eius interpretem non posse censo, nisi has leges, fili Ariadnaei loco, presso sequatur pede.

- I. Vt *sensus* veri nominis *literalis* solidum totius vaticinii exponendi subternat fundamentum:
- II. Vt reliqua vaticinii momenta ex hoc nomine deduci et demonstrari queant:
- III. Vt nomen illud hoc aenigmate a Spiritu diuino definitum vnice ex graecis constet literis.

Cum enim Apocalypsis graeco conseripta sit idiomate, et Christianis natione graecis Asiae minoris dedicata: horum profecto nemini in mentem venire poterat, Iohannem aliud quam graeci filii nomen voluisse definire; recteque FRANCISCVS SVAREZ e Societate Iesu, lib. V. de Antichristo: *omnes, inquit, docent, tale futurum nomen bestiae, vt literis constet, quae ad rationem numerorum, iuxta morem linguae graecae redactae numerum 666. contineant.* Antiquissimos vero huius vaticinii investigantes interpretes IRENAEVM Sec. II. p. C. n. Lugdunensem praefulem eorum deprehendimus coryphaeum, qui eandem fouit sententiam. Is enim, cum libro suo contra haereses V. cap. 30. edit. MASSVETI 1710. de numero 666. testatus esset, *in omnibus antiquis et probatissimis et veteribus*



teribus scripturis hunc numerum esse positum, eique testimonium perhibuisse hos, qui facie ad faciem Iohannem viderint; eiusdem capitis numero 3. ita pergit: *Certius et sine periculo est, sustinere (i. e. expectare) adimpletionem prophetiae, quam suspicari et diuinare nomina quaelibet, quando quidem multa nomina inueniri possunt habentia praedictum numerum.* — — Tria tamen in sequentibus citat nomina graeca hunc numerum continentia, *Ευαγγελος* scilicet, *Λατρευος* et *Τετραν*. De primo se nihil affirmare dicit; de secundo pergit: *nomen Λατρευος numerum habet sexcentorum sexaginta sex, ET VALDE VERI SIMILE EST, quoniam nouissimum regnum hoc habet vocabulum: LATINI enim sunt, qui nunc regnant. Sed non in hoc nos gloriamur.* De nomine *Τετραν* quidem affirmat, *omnium nominum, quae apud ipsos (scil. graecos) inueniantur, magna id fide dignum esse, quod dictum in se habeat numerum.* Idvero, quod addit: *semotum illud (i. e. inuitatum) esse, nec quenquam regum eorum, qui secundum ipsos fuerint, vocatum esse Τετραν, et diuinum putari apud multos esse hoc nomen, hoc ipso fidem eius euertit.* Iohannes enim affirmat in dicto citato, *hominis esse nomen.* Habuit vero IRENAEVS hypotheseos suae de nomine *Λατρευος* multos variosque sectatores, e. g. SCALIGERVM in *Scalig. post.* p. 125. FLACIUM in *Gloss. N. Ti.* p. 1363. CHYTRAEVM in *Apoc.* p. 273. sq. WOLLEBIUM in *comp. Theol. Christ.* p. m. 171. PISCATOREM in *Comment. N. Ti.* p. 1549. in primisque A. CALOVIUM in *Bibl. illust. Tom. IV.* p. 1859. qui scribit: *nomen Λατρευος, quod Irenaeus l. V. et Aretas in hoc dicto admittit, numerum conficit 666, atque ita nomen bestiae exprimit, quae merito ita dicitur, quia in Latio sedet, latina lingua in Sacris publicis utitur, quamuis vulgo incognita, in missa, in precibus, in Litanis, in citandis dictis biblicis et in toto cultu diuino, quem praesul romanus instituit, nec aliter quemquam quam latine mori sinit; quique Biblia vulgata latina textui originali hebraeo graecoque praefert.* Quibus sententia WOLLEBII subscribit, qui in *Theol. comp.* p. 170. scribit: *Character, nomen & numerus bestiae idem sunt, nomen videlicet numerum 666 in se complectens. Nomen illud Irenaeo, Polycarpi (qui Iohannem praeceptorem habuit) discipulo est Λατρευος, cuius literae numerum 666. exacte expriment.* *Accommodatissimum sane nomen; siquidem in Italia dominatur, in qua olim Latinorum erat regnum. Latina biblia fontibus praefert. Latine ministri eius cultum sacrum administrant. Latine bullas suas scribunt. etc.* Huic itaque Irenaei hypothesi et nos subscribimus. Cujus SVMAM PROBABILITATEM vt reliquis aliquanto euentius demonstramus, sequenti vtimur argumento:

- (a) Quodcunque nomen humanum graecum bestiae Apoc. XIII, 17. 18. descriptae sensui literali huius vaticinii est maxime conueniens:
- (b) numerum vaticinio aenigmatico aptissimum continet:
- (c) praecipuis totius vaticinii circumstantiis historiae Sacrae Christianae respondet:

(d) chro-

- (d) chronologiae testimonio comprobatur: illud verum esse bestiae nomen, a diuino spiritu aenigmate Iohanneo designatum, summe est probabile. Iam vero
- (a) nomen humanum graecum bestiae Apoc. XIII, 17. 18. descriptae, ex hypothese Irenaei *Λατεινος*, sensui literali huius vaticinii maxime est conueniens:
- (b) numerum vaticinio aenigmatico expressum continet:
- (c) praecipuis vaticinii circumstantiis historiae Sacrae Christianae respondet:
- (d) Chronologiae testimonio comprobatur: Ergo summe est probabile, nomen *Λατεινος*, hypotheseos Irenaei verum esse nomen a diuino spiritu aenigmate Iohanneo designatum.

Facile vero intelligo, vtriusque propositionis quadruplex membrum novis mihi fulciendum esse probationibus, has itaque sequenti tractatione exponere aggredior.

Cum a b. Glassio in Philol. Sac. p. m. 389. canone 3. iam sit demonstratum, quemlibet scripturae sacrae locum sensum admittere literalem; idemque canone V. comprobaverit, ex sensu literali praecipue argumenta ad probandum esse petenda, quod Bellarmini ipsius illustrat consensu, qui l. 3. de V. D. c. 3. inquit: *Comenit inter nos et aduersarios, ex solo sensu literali peti debere argumenta efficaciam. Nam eum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, certum est, esse sensum Spiritus Sancti; ex obseruatione denique Glassii 2. p. m. 398. sensus mysticus allegoricus et ΤΥΠΙΚΟΣ eo vsque ad probandum valeat, quo vsque in scriptura ipsa sit explicatus: sequitur, vt sensus typicus nominis aenigmatici sensui literali vaticinii tunc maxime sit conueniens, quando*

- (a) sensus ille *typicus* a scriptura ipsa fuerit explicatus:
- (b) numerum contineat vaticinio aenigmatico expressum:
- (c) praecipuis vaticinii circumstantiis historiae respondeat:
- (d) Chronologiae testimonio comprobetur.

Porro ex hypothese Irenaei *Λατεινος* dubitari nequit, sensum illum typicum, quo diuini vates res futuras typis imaginibusque oculorum sensui expositis exprimere consueverunt, in primis regna bestiarum imaginibus, exemplo Danielis, sensui literali vaticinii Iohannei aenigmatici ideo esse convenientissimum, quia

- (a) typus seu imago illa a Scriptura ipsa de regno quodam est explicatus, interprete angelo, qui Apoc. XVII. 7-9. septem illius bestiae capita de septem regibus eorumque septicolli regia interpretatur, quod necessario humanum est, additque, eam esse *sententiam* illam seu sensum *sapientiam habentem*. Hypothesis vero *Λατεινος* est nomen 1. graecum 2. hominis, 3. numero singulari, 4. collectivum, totam aliquam gentem includens, vt nomina Pauli, Iudaeus et graecus,

* 3

(b) quia



(b) quia *λατewος* numerum nominis bestiae exactissime continet, simulque NB. ANNUM HVIVS REGNI NATALEM, nempe a nato Christo sexcentesimo sexagesimo sextum exhibet, de quo BALAEVS in actis pontificum p. 63. refert: *Circa annum domini 666, qui a Christo nato numerus est nominis bestiae, VITELLIANVS (Praeful romanus) cantiones latinas, ceremonias et missas latinas, aliasque inanes nugas in templis latine fieri disposuit, iuxta graecam dictionem λατewος, quae per literas numerales praedictum bestiae numerum perficit.* Ab hoc anno igitur hierarchiae romano-latinae natali epocha totius huius regni incipit, nomenque *λατewος* a charactere huius regni hierarchici sensibus evidentissimo, vniuersali perpetuoque, et ab aliis omnibus regnis discretiuo est desumptum, lingua scilicet latina, quae in fine saeculi p. C. n. sexti et initio septimi vernacula esse desit, et ab anno illo natali apud omnes occidentis christianas gentes tot vernaculis linguis diversissimas communis sacra, et regni illius hierarchici aulica esse coepit.

(c) Nomen bestiae, *λατewος*, praecipuis vaticinii Iohannei circumstantiis respondere historiae sacrae christianae, demonstrabimus hierarchiae latinae ortu, sede et gestis.

- 1) Bestiam ex mari ascendisse dicit Iohannes Ap. XIII, 1. *Vidi ascendentem ex mari bestiam, habentem capita septem et cornua decem.* Teste vero BALAEO, loco iam citato, eodem anno 666 VITELLIANVS missis ad Anglo-Saxones in Britannia duobus legatis, Theodoro Graeco, et Hadriano Afro, gentem hanc in medio mari sitam, literarum latinarum rudem sacris romano-latinis initiavit. Ex maritima hac sede Praefulum romanorum auctoritate et imperio cultus ille latinus ascendit, et in reliquis occidui orbis christiani terras demigravit ad gentes latini idiomatis plane ignaras. WINFRIDVS enim, a praefule romano GREGORIO II. Romam ex Anglia evocatus, ab eoque BONIFACIVS dictus, quem vulgo Germanorum dicunt apostolum, cum horrendo se sacramento praefuli romano eiusque successoribus obstrinxisset, se ritus in sacris romanos exactissime servaturum, a Gregorio scriptas rituum romanorum institutiones et quasi digesta accepit, nec non literas commendatitias ad CAROLVM MARTELLVM titulo Majorem domus, potestate regem Francorum accepit. A MARTELLO vero saec. VIII. literis, quas vocant *protektorias*, munitus ad *Hassos, Toringos, Erancos, Bavarosque* Francorum imperio obnoxios est profectus, et advocatis ex Anglia fociis vtriusque sexus episcopatus et monasteria ubique instituit, in quibus omnibus ex praescripto Gregorii, *ritus sacros romano-latinos* invexit,

Λ	—	30
α	—	1
τ	—	300
ε	—	5
ι	—	10
υ	—	50
ο	—	70
ς	—	200
		666



invenit. Hos CAROLVS M. initio saec. IX. inter Gallos Saxonesque propagavit, ANSGARIVSQUE gentium Septentrionalium apostolus Bremensis praeful, eodem Saeculo his gentibus imitandos praescripsit. Sic orbis Occiduius, in vita civili linguaue vernacula barbarus, in sacris publicis factus est *latinus*, idque decreto, auctoritate et imperio romani pontificis.

2) fedes imperii huius Hierarchiae latinae, quam angelus citato loco Apoc. XVII, 7-9. descripsit septicollem, ideo cum regis suis capitibus tam insolubili nexu ab eo videtur copulata, vt digito quasi monstraret septicollem illam Romam, imperiorum eam venerantium matrem, reginam ac dominam, quam rectores sui magistram fidei iactitant, eam vicariorum Christi perpetuam fuisse fedem, qui perpetui fuerint heredes Cathedrae Petri romanae, quod ipsum inter articulos fidei referunt, testante PETRO CANISIO in Catechismo Romano germanico, cuius p. 81. ad quaestionem, *quis est sacrorum dominus?* respondetur: ROMANVS PONTIFEX, *successor Petri, eiusque Cathedrae heres.*

3) Inter gesta bestiae apocalypticae primaria a Iohanne C. XIII, 7. refertur: *datum ei est, bellum cum sanctis gerere, eosque vincere.* Quis vero historiae Sacrae Christianorum gnarus ignorat, hierarchiae romano-latinae auctoritate instinctuque bella sacra esse gesta atrociam adversus Waldenses, Hussi sectatores, evangelii confessores in Germania, Belgio, Gallia, et a truculento illo inquisitionis iudicio in Hispania, Lusitania, Italia? quae bella omnia in aetatem hierarchiae romano-latinae inciderunt.

(d) Chronologiae denique testimonio veritatem hypotheseos Irenaei comprobari, capitis Apoc. XIII. versus quinti verba loquuntur: data est bestiae potestas agendi per menses quadraginta duos.

Horum quadraginta duorum mensium periodo rota bestiae apocalypticae aetas includitur, quorum cuique si triginta tribuantur dies, efficitur inde numerus dierum millium ducentorum sexaginta. Hic mensium numerus idem est cum numero mensium, quibus atrium templi exterius eiiciendum dicitur, vt a gentibus conculcetur, Ap. XI, 2. et numerus dierum idem cum numero dierum, quibus duo dei testes vaticinaturi dicuntur citato loco v. 3. Quemque igitur istorum dierum si stilo Danielis prophetico de integro anno civili interpretamur, rota bestiae aetas finietur mille ducentis et sexaginta annis civilibus. Quos si ab anno Christi 666. iuxta hanc hypothesein Hierarchiae latinae natali numerare coeperimus, fatalis eius a Iohanne definitus terminus in saeculum a Christo nato vicelesimum incidit, eiusque nondum finitam esse periodum et chronologiae calculus et ipsa rerum sacrarum testatur historia, vndecimque aetatis ejus ante
bien-





biennium effluxisse secula. Simul vero praesentia publica huius hierarchiae facta loquuntur, aetatem eius in senium declinare ingrauescens.

Ex collectis igitur hisce probationum argumentis hanc effecisse consecutionem mihi quidem videor, hypotheseos Irenaei graecum nomen *λατεις* verum esse bestiae apocalypicae nomen a spiritu divino aenigmate Iohanneo designatum, summe esse probabile. Ecquid vero diuinius, ecquid suprema diuini spiritus sapientia dignius a mentis humanae imbecillitate potest concipi? quam a tot saeculorum imperio enidentissimum, vniuersalem perpetuumque eius abstrahere characterem, eum nomine trissyllabo includere, id numero aenigmatico inuoluere, idque numerorum calculis, subducendum aliquot saecula ante eius natalem proponere, cuius aenigmatis solutio non nisi post longam saeculorum rerumque gestarum seriem calculo quodam non alio, quam admodum probabili queat expediri, cuiusque inuictam certitudinem non nisi diuina omnipotentia serae posteritati ipso rerum euentu potest demonstrare. Imposito demum huic tractationi colophone, ad scopum huius scripti conuertor, tironumque nostrorum, qui crastina luce hora secunda pomeridiana, in primi ordinis auditorio ad declamandum confurgent, argumenta expono. Horum prior

CHRISTIANVS FRIDERICVS POHLE, Saxo, *veras falsaeque religionis originem progressumque stilo inter se contendet latino*. Alter vero AVGVSTVS GOTTOFREDVS LITZMANN, Hallensis, *Spurios gentilium deos seruatores eodem sermonis idiomate denudabit*.

RECTOR denique IESVM Mariae filium, *unicum verum humani generis esse seruatores deum enarrabit, ab eoque fausta quaeuis apprecabitur*. Quos VI PATRONI Gymnasii amplissimi, Musarumque FAVTORES aestimatissimi honorifica sua dignentur praesentia, mente rogamus venerabuntur pariter atque gratissima.

P. P. e Museo Gymnasii, die VIII. A. O. R. MDCCLXIX.



W 78

1856 5.

SVMAM PROBABILITATEM
HYPOTHESEOS S. IRENAEI
DE NVMERO APOCALYPSIOS
DCLXVI

ARGVMENTIS ADSTRVIT,

ET CAPIENDA

ANNI MDCCLXIX

ONO

ORIO

ABENDO,

ATRONIS

ORVM

RIBVS



VS TAVST,

TOR.

CAE,

AVG. GRVNERT.

